

de puncto in punctum, hujusmodi juramentum, nos ad instanciam nunciorum et procuratorum, prefati regis Francorum mandamus et fecimus in nostra presencia per carissimum primogenitum et heredem nostrum Petrum Infantom Castelle corporaliter presari, modo in dictis confederacionibus ibidem in vulgari expositis declarato, cuiquidem Infanti ad dictum prestandum juramentum auctoritatem nostram et licenciam regiam et paternam dedimus et damus per presentes, eundem nichilominus, considerata ejus capacitate persone, etatis esse legitime quo ad hoc auctoritate nostra regia decernentes, deffectum etatis sue supplendo pariter in hac parte, lege seu statuto in contrarium editis vel edendis non obstantibus quibuscunque. In cujus rei testimonium, presentes litteras fieri fecimus et sigilli nostri plumbei munimine roborari. Actum et datum apud Taurum, die decima septima mensis julii, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto. Ego Matheus Ferrandi notarius serenissimi principis domini regis Castelle et Legionis feci ista scribi, de ejus mandato, in consilio suo.

(Scellé d'une bulle de plomb sur cordelettes de soie jaune, verte et rouge).

Archives Nat., J 602, n° 48.

24

D. Barnabas évêque d'Osma, D. Juan Martinez de Leyva, D. Martin Ferrandez et Ferrand Sanchez de Valladolid affirment que le roi a prêté serment d'observer les alliances conclues avec la France.

Toro, 17 juillet 1346.

Universis presentes litteras inspecturis, Barnabas Dei gracia episcopus Oxomensis, Johannes Martini de Leyva, custos major corporis domini regis Castelle, majordomus domine regine Aragonum, Martinus Ferrandi, major regis notarius in regno Vandalie, major alcas Toletanus et Ferrandus Sancii de Valleoleti, major notarius regis in regno Castelle, milites, ac dicti domini nostri regis consilarii, salutem et fidem presentibus adhibere. Volentes, veritati testimonium perhibere, omnibus et singulis quorum inte-

rest, tenore presencium notum facimus quod anno et die infra-scriptis, nobis simul vocatis et in presencia serenissimi principis domini Alfonsi Dei gracia regis Castelle et Legionis apud locum de Toro constitutis, expositis ibidem et intellectis quibusdam certis confederationibus et alliganciis initis noviter et confectis inter ipsum dominum nostrum regem, pro se, heredibus, successoribus, regno, terris, dominiis et subditis suis ex parte una et serenissimum principem dominum Philippum eadem gracia regem Francorum pro se, heredibus, successoribus, regno, terris, dominiis et subditis suis ex altera, dictus dominus noster rex Castelle, volens alligancias et confederaciones predictas tenere, observare et complere de puncto ad punctum, ipsas juravit ad sancta Dei Evangelia corporaliter libro tacto, tenere et observare, prout scripture sunt et contente in quibusdam binis litteris ipsius domini nostri regis, una videlicet suo sigillo plumbeo, alia vero sigillo cere pendenti sigillatis, consimilibus in effectum aliis quibusdam binis litteris dicti domini regis Francorum super eisdem confectis et modo, forma in predictis litteris regiis laus declaratis. In cujus rei testimonium, nos prenominati episcopus et milites, sigilla nostra duximus litteris presentibus apponenda.

Datum et actum apud locum de Toro, in domo Fratrum (*sic*) Predicatorum, die decima septima mensis julii, anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto et secundum morem Ispanicum, Era millesima trecentesima octogesima quarta.

(Quatre sceaux sur cordelettes de chanvre tressées bleu et blanc).
Archives Nat., J 602, n° 50.

25

Clément VI engage Pierre I^{er} à conserver l'alliance française.

Avignon, 13 juin 1350.

Carissimo in Christo filio Petro regi Castelle ac Legionis illustri.
Desideramus, fili carissime, quod sic regio fastigio et culmine illustraris sic principum roboretur amicicia, thronus tuus regnumque tuum in ipsis tuis primordiis fundamentis fortioribus stabilitum votivis, prestante Domino, augeatur continue incrementis. Cum